

cernimus, certis quæque temporibus, prout sunt Sol, et Luna, temporum tum effectores, tum moderatores, tum etiam distributores. Per quæ tempora, omnes fiunt e suis seminibus rerum genituræ, et renovationes. Suis inquam seminibus tum manifestis, tum occultis. Manifestis quidem animalium, plantarumque, occultis vero lapidum, metallicorum, aliarumque rerum, quas cernimus quidem fieri, unde autem fiant non cernimus, et pro miraculis habemus. Sed horum quæ sensibus sunt obiecta, sensibus etiam percipimus. Quæ vero sensus non cognoscit, ratio dictat ex demonstratis, ab occultis provenire seminibus. Aut enim a se ipsis fiunt, aut ab alio. Non a se ipsis. Nihil enim est causa sui. Quia fuisset, ante quam esset. Ab alio ergo fiunt. Quod si sensibus non apparet, semen occultum, atque specificum nominamus. Nam et ea semina, quæ cernimus, quæque tangimus, per se nihil sunt efficacia, nisi occultum in eis semen ea faciat fœcunda. Semen autem hoc occultum, in omnibus manifestis est seminibus, in humore scilicet illius habitans, quia Lunæ luminibus, humorem cælestem deferentibus dum fovetur, vitalis est, et conservatur, donec calor humoris illius comes a lumine Solis fatus illud fovet, et spiritum in eo, vel præexistentem servat, vel novum generat, vitalemque facit, et fœcundat. Sed de his suis locis postea. Modo concludamus. Sidera non esse ociosa, nec frustra facta. In se prius agere, seque ipsa fœcundare, iis quæ sibi conveniunt. Conveniunt autem, quæ desuper, ab Empyreo, a fluore, a calore, a lumine, a luce, ab animo, a mente, a vitis, ab essentiis, ab Ideis, in ea defluxere. Agere quoque ea extra se, tum in astra alia, tum in Solem, tum in Lunam, tum in hyleum, eadem dona, quæ sibi a superis venerunt, in intera transfundendo. Quid vero si astra ita agunt, cælum astris intermedium, frustra erit, et nihil in se, extra se nihil aget? Non est tam absurdæ rei assentiendum. Sed eadem quæ a superis in ipsum defluerunt, tum in se fœcundat, cum in alia usque ad nos transfundit. At quia fluorem simplicem, hunc ætera esse diximus, quid si ira distribuamus. Ab astris lumen et calorem, in solum transfundi Solem, et cum his etiam, quæ in astris latent semina. Fluorem vero, quæ in intermediis hisce cœli partibus est, in solam transfundi lunam? Et sicuti Sol, lumen, et calorem, et cum his semina, in hylæum transfundit, ita Lunam in eundem transfundere, cœlestem fluorem, unde humorum atque humiditatum nostratum dicta sit mater, nutrix, atque moderatrix. Ita sane nostra sententia esto. Qua distributione rationi, demonstrationibusque longe consonantior fiet, ut non sidera a sole, sed Sol a sideribus lumen accipiat, et ab eis, uti Zoroaster eum vocavit, πρὸς ταμίαν, ignis pœnu, et quæstor, efficiatur. Et Luna καναχυσμῶν, uti idem ei tribuit, effluxionum, atque effusionum sit mater. Omnia tamen simul, Mente, animo, spirituque, naturaque, tum propria cuique, tum totius mundi communi, ita vivunt ut omnia Sympathiam, et συνοκειόσιν, cognationem et concordiam, inter se mutuam, induant, et ita consonent, ut nulla in eo sit dissonantia, nulla discordia, quæ ad universi, tum ornamentum, tum perfectionem, tum conservationem, non conferat. Idque efficiatur totum, per lumen, per calorem, perque insensibilem quandam teporem, omnia penetrantem, omniaque vivificantem, et semina, cuique propria per omnia gestantem, atque spargentem: a quibus, omnia propriis quæque locis, fœcudentur et germinent, pro seminis locique temporisque proprietatibus. Atque hæc de cœlis, de sideribus, deque eorum essentia, viribus actionibusque, longe aliter, quam ab aliis, aut astronomis, aut Astrologis, aut philosophis reliquis, sunt nobis philosophata.

*Finis Libri Vigésimi primi Pancosmiæ.*